QUAEDAM
DE
ANTISYPHILITICIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,
QUAM
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS,
DIE XXIX. M. JANUARII A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRANC. JAC. HUBERT. DE WEISE,
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
C. L. de MOELLER, DR.,
J. P. H. REIMBOLD, DR.,
P. J. TOSETTI, DR.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

PATRUO

OPTIMO, DILECTISSIMO,

FRANC. JAC. DE HERWEGH,

EQUITI ORDINIS AQUILAE RUBRAE,

CEU

SPECIMEN GRATI PIIQUE ANIMI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Eo, quod syphilitidis natura nondum satis cognita est, varias illam sanandi methodos oriri, necesse erat. Quanquam ad hoc usque tempus hydrargyrum specificum contra illam effectum probavit, negari tamen non potest, varias syphilitidis formas aliis quoque remediis amoveri. Dissertationis hujus nunc finis praecipuus est, methodos maxime cognitas et probatas complectendi; quibus, de mercurio loquens, praecipuas hypotheses, quomodo miasma syphiliticum amoveatur, addidi. Omnes vero enumerare opiniones, labor, credo, fuisset nimius; medico unoquoque aliam fere opinionem habente; omnes vero consentiunt, mercurio luem propelli; sed nemo affatim probat, quomodo contagium amoveatur, quod tam diu quoque nos latebit, donec de natura miasmatis cognitionem impetraverimus accuratiorem. Primo in hac dissertatione, acria, tum acida, et postremo remedia metallica, enumeravi.

I. ACRIA VEGETABILIA.

Omnia acria vegetabilia, superficiem organicam tangentia, incitant; vis autem illa secundum virtutem remedii et superficiei sensibilitatem, varia est. Non solum effectum exercent in systema ner-

vosum, sed digestione quoque recipiuntur; unde et effectus praecipue explicari potest, quem procreant, si refracta dosi in ventriculum immittuntur; parvam primo irritationem efficiunt; ventriculi nervi efficaciores atque sensibiliores fiunt; major tum sanguinis circuitus, humorumque lymphaticorum subsequitur; ventriculi motio et calorificatio augentur; exoritur denique metamorphosis totius ventriculi efficacior, eo magis apparens, quo major atonia et torpor, conjunctis conformatione mucosa, adest. Usum acriorum, per aliquod tempus perdurantem, subsequitur major omnium superficierum secretio, una cum aucta resorptione. Effectus hi paullatim apparent, et remotis quoque remediis diutius perstant; quos non aucta vasorum actione, ex organorum secernentium phaenomenis, sed ex commutatione ipsarum membranarum secernentium, provocari, patet. Qua vi in organa secernentia, acria non solum impedire possunt, quominus pseudoproducta syphilitica progrediantur; sed et secundum proprium aegroti morbique statum, illis, sine ullo alio remedio, luem syphiliticam amoveri, animadversum est. Remedia, quae praesertim ad illam tollendam adhibentur, sunt: Radix Sarsaparillae, Caricis arenariae, Chinae nodosae, Saponariae, Bardanae, Astragali escapi, Smilacis asperae; Stipites Ducamarae; Herba Gratiolae, Pulsatillae nigricantis: Lignum Guajaci, Sassafras, Juniperi, Buxi; Cortex Mezerei, Pruni padi, Putamen nucum juglandum; quorum plurima remedium formant, sub nomine notum: specierum lignorum.

De his omnibus contra luem maximum effectum probarunt: Putamen nucum juglandum, quod Pollinus, et rad. Sarsaparill., quam Zittmanus magno successu se adhibuisse, dixerunt. Decoctum Pollini hoc est.

Rec. Putam. nuc. jugland. ℥x
Aqu. font. mens. jj
digere leni calor. in vas. bene claus. per hor. xjj dein adde
Rad. Sarsaparill.
Rad. Chin. nod.
Lapid. pumic.
Antimonii crudi in pet. ligat. āā ℥ß
coq. ad dimid. consumat. aq. fluid. refrig. decuncta et S.

Mane et vespere Pollinus aegrotum decocti hujus ℥ix tumque scutellam infusi rad. Alth. bibere jubet; quo pergit, donec omnia syphilitidis symptomata, evanuerunt.

Zittmanus decoctum dividit in decoctum forte et tenue:

a) Decoctum forte.

Rec. Rad. Sarsaparill. ℥xii
coq. c.
Aq. font. ℔xxiv
per hor. quadr.
adde
Alumin. saccharat. ℥jß
Mercur. dulcis ℥ß
Cinnab. antim. ʒj in nod. lig.
sub fin. coct. admisce
Folior. Senn. ℥jjj
Sem. Anis. ℥ß

Rad. Liquirit. ℥jß
Col. ℔xjj
S. Decoct. forte.

b) Decoct. tenue.

Rec. Resid. decoct. fort.
Rad. Sarsaparill. ℥vj
coq. c.
Aq. font. ℔xxiv
sub fin. coct. adde
cort. citr.
« Cinnamom.
« Cardamom. min. aa ʒjjj
Rad. Liquirit. ʒvj
Col. ℔ xjj
S. Decoct. tenue.

Aegrotus, priusquam decoctum sumit, pilulis novem aut sedecim ex hac massa factis, frui debet.

Rec. Mass. pilul. de succ. Craton. ℈jv
Hydrargyr. muriatic. mit.
Resin. Jalapp. aa ʒjß
Mf. l. a. p. No. 80. Consp. Cinnab. D.

Die altero mane et in lecto ℔j — ℔jß decocti fortis calefacti bibere debet, sudorem exspectans; post meridiem vero decocti tenuis, non calefacti ℔jjj, iterumque, antequam cubitum eat, decocti fortis ℔j — jß. Sic pergendum, donec decoctum omne consumtum est; quod die quinto fit; tum autem pilulae repetundae sunt; quod vero, decocto jam effectum exhibente laxantem, ab uniuscujusque aegroti statu pendet. Diaeta valde coërcenda est, et, excepto jure tenui et diluto, aegrotus carne tantum macra vesci debet. Alvi plerumque copiosae, non

autem perniciosae decocti usum subsequuntur. Lues si nondum evanuit, aegrotus denuo curam incipiat, necesse est.

II. ACIDA.

Acidorum in organismum receptio duplici modo fieri videtur, in superficiem organicam nempe tactu vim suam exercent; aut digestione recipiuntur, unde in organismum propelluntur; quod patet ex effectu eorum tardo et perdurante in metamorphosin, ex acore secretionum, praecipue urinae, aliorumque humorum. Vis autem eorum praecipua maximeque probata, antiseptica est, quam et in febri putrida et gangraena, tum et in scorbuto ostendunt. Hic autem effectus fundatur in aucto et emendato conformationis processu, nam resorptionis vim augent, quo fit, ut materiae prius solidae fiant, priusque assimilentur. Acida ergo vim habent, specificam organorum vegetativorum mixtionis commutationem restaurandi, quare imprimis in omnibus adhibentur dyscrasiis, in quibus dissolvendi proclivitas, conjuncta laxitate se ostendit; qua de causa et in syphilitide locum habent. Apparet autem ex omnibus, quae de usu acidorum contra luem exstant, experimentis, usum eorum solum rarissime sufficere, ad luem omnino tollendam; plerumque illam vero ad limites quosdam propellunt, eamque impediunt, quominus progrediatur. Quibusdam autem casibus omnino necessaria sunt, uti: in complicatione cum diathesi scorbutica; in statu reproductionis totius proprio, in intumescentia nimiaque secretione se mani-

festante, nec curam per mercurium permittente, quo nempe ptyalismus citius et sine emolumento produceretur; tum demum, si usus mercurii imprudens aegrotum ita invasit, ut curae huic exsuperandi sit impar.

Acida contra luem imprimis adhibita, sunt: acidum sulphuricum, muriaticum oxygenatum, et nitricum, quae a *Zellero* [1]) et *Scotto* [2]) in altera superioris saeculi parte, maxime ceu antisyphilitica, laudata sunt. Quae quidem, ut supra dixi, maximi in complicatione esse momenti, melioremque in ulceribus suppurationem procreare, et conjuncta tonicis aegrotum ad hydrargyri usum magis aptum reddere, negari non potest, specifica autem contra luem minime sunt. Laudandum maxime, acidum sulphuricum, aegroto mercurialismo correpto.

III. METALLA.

Ipsa metalla in organismum, non nisi conjuncta vel oxygenio vel acido effectum exercent; quare et oxygenii instar, specificum illis imprimentis characterem, vim suam perficiunt. Sensibilitatem praeprimis incitant, primo in illis organis, quae proxime attingunt; contractionem fibrarum musculorum nimis augent; quo magna dosi, status organorum digestionis inflammatorios procreant: dosi vero refracta, illos producunt status chronicos, in aucta

---

1) Praktische Bemerkungen über den Nutzen des Badeschwammes, nebst Anhange über die Salzsäure. Wien 1797.

2) *Duncan's* annals of medicine. Vol. I pag. 375 und Edinb. medic. Comment. Dec. III. B. I. pag. 181.

sensibilitate, conjuncta musculorum contractione excedente, constantes; simulque, si diutius adhibentur, ipsam humorum massam oxydant, aptamque ad coagulationem innormalem, reddunt. Remedia metallica, praecipue contra luem adhibita, sunt:

1) Argentum nitricum fusum s. lapis infernalis. Externe tantum adhibetur, si statu innormali et mixtione ulceris, nec ipsa vero lue, ulcus impeditur, quominus concalescat.

2) Aurum oxydatum muriaticum recentioribus temporibus a *Chretieno* et *Westringio* adhibitum est; prior aurum, inquit, muriat. majorem in organismum, quam sublimatum corrosivum effectum exercere, quin gingivam et glandulas salivales corripiat; os in statu bono, linguam humidam et appetitum permanere, cutem quoque et renes secretionem auctam exhibere, et se illo, eadem facilitate, celeritate et effectu, atque mercurio, syphilitidem sanasse. Et medici gallici et hispanici hanc *Chretieni* opinionem probarunt; quidam autem auro usos multis casibus minorem, adeo nullum omnino, uti medici helvetici, e. g. *Potinus*, *Hedinus* et *Godelius*, effectum contra luem se vidisse, dixerunt; quo patet, auri effectum nondum satis cognitum et hucusque incertum esse.

3) Antimonium s. Stibium, tum praecipue efficax, si ita adhibetur, ut aut in succo gastrico solvi aut digestione resorberi possit; effectus a majore quoque ejus solubilitate pendet. Priusquam assimiletur, a digestione praeparatur, et tum demum vim suam exercet, manifestantem se in aucta secretione

superficiei internae et externae, praecipue autem cutis; majorem quoque procreat secretionem muci magis serosi tam bronchiorum, quam tractus intestinalis; minus vero efficax in secretionem urinae, minus vasa lymphatica, glandulae et tunicae serosae corripiuntur. Maxime convenit, lue sub forma exanthematis, complicata rheumatismo et arthritide, morbo scrophuloso, psora etc., et moliminibus pulmonum aut tractus intestinalis pituitosis, apparente; quo adjuvans mercurium magnam exercet vim. Stibium sine mercurio quoque, conjunctum vegetabilibus secretionem emendantibus, saepe remedium est, quo lues amoveri potest; tum quoque, si hydrargyrum saepius jam adhibitum, nimium effectum excessivum procrearit, nec amplius resorbeatur, aut nullae subsequantur reactiones; si tarde et paullatim metamorphosis emendanda est; quin organismo jam debilitato, noceatur; tumque praecipue commendandum est, decoctum *Felsii,* quod magno contra luem emolumento se adhibuisse, dicit. Constat ex:

Rec. Rad. Sarsaparill. ℥jjj
Gummi arab. ℥jj
Antimon. crud. in saccul. lig. ℥jv
coq. c.
Aq. font. ℔vj
ad remanent. ℔jjj.

Col. D.

Aegrotus ter per diem, tertiam hujus decocti partem consumere debet. Nunc vero ceu potus, in cura per hydrargyrum tantum adhibetur. —

4) Mercurius s. Hydrargyrum; sicuti omnia

metalla, non oxydata, nequaquam organismum afficit; quomodo autem ejus praeparata, ad luem tollendam sint apta, variae exstant opiniones atque hypotheses.

Opinio vetustissima mechanica fuit; mercurium pondere solo vim suam exercere. *Astrucius* [1]) ipse ejusdem opinionis est.

Swediauer et *Harrisson* [2]) mercurium, chemicam in contagium syphiliticum habere affinitatem putant; qua contagium neutralisetur.

Cullen [3]) mercurium affinitate in salia alcalina vim suam exercere censet; cui opinioni *Alyon* [4]) quoque accedit, dicens nempe: syphilitidem morbum esse, procreantem minorem systematis lymphatici sensibilitatem, et nonnisi oxygenio ceu remedio sensibilitatem augente amoveri posse.

Girtaner [5]) contagium syphiliticum acidum esse, lympham spissiorem reddentem, mercurium vero vasa lymphatica incitare, lympham magis liquidam reddere, eoque ptyalismum procreare et sudoris secretionem augere, putat.

Ex *Heckeri* [6]) sententia contagium syphiliti-

---

[1]) *Astruc* Abhandlung über venerische Krankheiten, 1760, aus dem französischen übersetzt.

[2]) Dissertatio de lue venerea. Edinb. 1781, pag. 14, experim. III.

[3]) Abhandlung über Mat. med., übersetzt von *Hahnemann*, 1790, 2. Th. pag. 491.

[4]) Essay sur les propriétés médicales de l'oxygen, à Paris, pag. 5.

[5]) Abhandlungen über venerische Krankheiten.

[6]) *A. F. Hecker* deutliche Anweisung, die ven. Krankheiten zu erkennen und zu heilen. Heft 1791 und 1801, pag 54.

cum in vasis lymphaticis consedit, quod ut expellat, naturae vis non sufficiat. Vasa lymphatica, incitamento, satis valido, mercurio nempe, indigere.

Joh. Hunter [1]), mercurium incitamentum, illi contagio syphilitico plane contrarium, procreare judicat, quo lues omnino deleatur. *Fritz* [2]) et *Burdach* [3]) eandem habent opinionem.

Hahnemann [4]) dicit, morbos chronicos complures remediis, morbum priori similem in corpore procreantibus, sanari posse; mercurio ergo, morbum lui syphiliticae similem procreante, syphilitidem amoveri posse.

Opiniones hae fuerunt vetustiores; recentioribus temporibus alii alias proposuerunt: sicuti *J. A. Schmidt* [5]) dicens: Das Quecksilber steht unmittelbar weder in Verhältnissen zum syphilitischen Miasma, noch in Verhältnissen zu den Formen der Syphilis. Es steht einzig im Verhältniss zur animalischen Organisation und zwar unmittelbar zu einer bestimmten Mischung und Form des thierischen Stoffes, dem ein bestimmter Cohäsionsgrad inne wohnt, es wirkt nun auf den Grad der Cohäsion, erregt die Irritabilität so, daß sie das Indifferenzirtwerden des Organisch-Starren von der ersten Stufe durch das syphilitische Miasma

---

[1]) *J. Hunter* Abhandlung über die vener. Krankheiten, aus dem Engl. 1780.

[2]) *Fritz* Handbuch der vener. Krankheiten. Berlin 1790 und 1797, pag. 236.

[3]) *Burdach* System der Arzeneimittellehre, I. Bd., pag. 415.

[4]) *F. G. Hahnemann* Unterricht für Wundärzte ꝛc. 1789.

[5]) *J. A. Schmidt* Syphilitidoclinik, pag. 35.

beschränkt, und so einen spezifischen Reproduktionsprozeß durchführt.

Walch [1]) mercurio irritabilitatem nullo modo in organismo augeri; sed supprimi, ergo in systemate quoque reproductionis, et hoc modo reproductionis processum specificum, sicuti a mercurio procreetur, non ab irritabilitate aucta pendere posse, putat; sed effectum mercurii praecipuum esse, quod resorptionem augeat.

Secundum *Wendt* [2]) mercurius reproductionem minuit, vimque et efficaciam morbosam et reproductivam coërcet.

Quibus ex opinionibus, mercurii vires nondum satis cognitas esse, patet; auctam autem systematis lymphatici resorptionem praesertim procreari, certum est; sed an resorptione hac aucta, ab eaque se- et excretionem pendente miasma syphiliticum propellatur; an mercurius vim quandam dynamicam possideat, adhuc incertum est.

Methodi, secundum quas praeparata mercurialia contra luem adhibita sunt, quanquam diversissimae, in duas tamen classes dividi possunt, nempe in methodum excretoriam, et methodum extinctoriam.

Vetustissima, luem tollendi, methodus fuit excretoria, quae duplici modo fieri solebat, per cutem nempe aut glandulas salivales.

---

[1]) *F. A. Walch.* Ausführliche Darstellung des Ursprungs der venerischen Krankheiten, S. 139, 141.

[2]) *J. Wendt.* Lustseuche in allen ihren Richtungen, S. 214.

1) CURA EXCRETORIA, STRICTE SIC DICTA.

Aegroto frictiones cum unguento cinereo ad totum corpus, quotidie semel, interdum vero bis, applicatae sunt: tum ad lectum calefactum se conferre debuit et conclavis temperatura maxime aucta est. Cura haec per hebdomadas quatuor plerumque duravit, nec aegroto conclave relinquere licitum erat; ptyalismus et sudor mox intrantes sustentabantur; qua autem methodo lues nunquam omnino amota, et rarissime tantum aegrotus sublevatus est; quare et a medicis mox repudiata est.

2) CURA PER SALIVATIONEM S. SIALOGA.

Primo in nosocomiis gallicis et anglicis adhibita; usque ad hoc tempus, sed mutata aliquantum, se conservavit. Aegrotus per dies quatuordecim quotidie duobus balneis calidis et laxantibus uti debuit, venaesectio quoque accessit. Tum in conclavi calido frictiones cum unguenti cinerei ʒj — jj tum ad crura inferiora, tum ad superiora, tum ad brachia factae sunt; interne interdum hydrargyrum quoque adhibitum est. Diaeta maxima observanda, nec conclave relinquendum.

Tertia aut quarta inunctione facta, plerumque ptyalismus exoritur, qui inunctionibus continuis per hebdomadas quasdam sustentatur; tum autem ad sedandam salivationem laxantia, diaphoretica et balnea calida, sunt adhibita; quae autem methodus tum ob incommoda salivatione procreata, tum, quia pauci tantum aegroti hac methodo omnino convalesce-

lescebant, plane omissa est; donec *Louvrierus* [1]) et *Rustius* [2]) recentioribus temporibus eam emendatam repetiverunt. Aegrotus eodem modo balneis et laxantibus praeparatur, omnibus fere nutrimentis carere debet; et frictiones in conclavi 16 — 20° R fiunt: a vetustiore tamen diversa est methodus, eo, quod inunctiones, majoribus intervallis et ad dorsum quoque applicantur, eoque, quod non id maxime spectat, ut ptyalismum per totam curam augeat, sed sub ejus finem, laxantibus potius coërceat, quo nempe mercurio omnis syphilitidem amovendi vis tribueretur, quin organismus toxicationi exponatur. Hydrargyro nempe ceu remedio chemico luem non amoveri, sed resorptionis processum ita augeri dixerunt; ut organismus degeneratum aut ad normam suam reducat, aut amotione contagii luem tollat. Ne autem finis hic nova reproductione turbetur, diaeta parca esse debet, quo parvae quoque mercurii doses efficacissimae fiunt. Curam omnem, in curam praeparatoriam dividunt, et curam ipsam.

CURA PRAEPARATORIA.

Tum ad purganda intestina, cutemque magis ad recipiendum hydrargyrum, idoneam reddendam,

---

1) *Louvrier.* Nosologisch-therapeutische Darstellung syphilitischer Krankheitsformen, nebst Angabe einer zweckmäßigen Methode, die Lustseuche zu heilen. Wien 1809, 8.

2) *Rust.* Magazin für die gesammte Heilkunde, Bd. 1, Heft 3, Berlin 1816, über die Heilkraft der mech. Quecksilber-Einreibungen in syphilitischen und nicht syphilitischen Krankheiten, S. 354 bis 452.

tum ad resorptionem, jam reproductione supprimenda, augendam, haec instituitur. Constat in deducendis nutrimentis, applicandis laxantibus, balneisque calidis; venaesectione nonnisi in diathesi inflammatoria opus est. Aegrotus quotidie quater ℥jx juris carnium, nec carne ipsa et spirituosis, sed decocti Bardannae et Althaeae ℔jjj frui debet. Initio conclave relinquere potest; sub finem autem curae praeparatoriae multo melius est, eum cubiculo non egredi. Cura praeparatoria per dies quatuordecim durare solet, sed multum hoc a morboso aegroti statu pendet. Die primo et sub finem diei decimi quarti, purgans, diebus autem aliis quotidie balneum usurpatur; quod ad aëris temperiem attinet, aegroto ingrata non esse, sudorem vero procreare minime debet. Louvrierus quotidie duo balnea, horarum duarum, *Rustius* autem unum tantum, horae circiter unius, et si in discrimen res perducta sit, quatuor tantum balnea, et post primum et tertium balneum, purgans, post quartum vero, primam inunctionem facere jubet.

CURA IPSA.

Dies viginti quinque explet; aegrotus eodem semper conclavi calido iisdemque vestimentis uti, sibi ipsi, quam diu potest, unguentum inungere et quotidie tribus aut quatuor tantum scutellis juris carnium tenuis et decocti Bardannae et Althaeae ℔jjj frui debet. Inunctio hoc modo instituitur, mane nempe:

Die primo ad crura inferiora.
« tertio « « superiora.
« sexto « brachia.
« octavo ad dorsum.
« decimo ad crura inferiora.
« duodecimo ad crura superiora.
« decimo quarto ad brachia.

Diebus intercurrentibus inunctio non fit.

Inunctionibus hisce ad decimum quartum usque diem factis, die decimo quinto crisis per sudorem, per horas viginti quatuor vel viginti octo durantem, exoriri solet; aegrotus tum exactissime observandus est. Pulsus plenus, urina et alvus aucta animadvertuntur; ptyalismus minuitur, nec augetur ipsis inunctionibus vespertinis, quibus vespere diei decimi sexti, hoc modo pergendum est:

Die decimo sexto ad dorsum.
« « octavo ad crura inferiora.
« vigesimo ad crura superiora.
« « primo ad brachia.
« « quarto ad dorsum.

Diebus intercurrentibus laxantia applicantur.

Febre, convulsionibus, ptyalismo nimio ante tertiam inunctionem existentibus, cura amovenda; quae mensibus quibusdam praeterlapsis (magna autem cum prudentia) instaurari potest. Salivatio plerumque inter tertiam, quartam, vel quintam inunctionem nasci solet. Ceterum inunctiones tres, in unaquaque parte, applicatae; septem nempe ante, et quinque post crisin, sufficiunt, ad luem maxime inveteratam omnino tollendam; sed casus, hasce duo-

decim inunctiones non permittentes; quosdam vero pauciores aut plures postulantes, adsunt. Unguentum, quo ad inunctiones utimur, constat ex

Rec. Hydrargyr. viv. ʒiij
Butyr. cac. ʒvj
M. exactissime in mort. lap.

sive

Rec. Unguent. hydrargyr. ciner. ℥ß
Hydrarg. oxydat. rub. gr. xv.
M. exactissime in mort. lap.

Ad impediendum, quominus ptyalismus maturius appareat, prima et secunda inunctio ʒjj dosin non excedat; inunctionibus tribus factis et ptyalismo moderato (horis scilicet viginti quatuor librarum quatuor non superante quantitatem) exorto; unguenti ʒß — ʒj addi potest; corpore jam hydrargyro assuefacto. Ptyalismo autem nimio, die nono fit inunctio, ita, ut aegroto ante crisin sex tantum inunctiones applicentur; dein unguenti quantitas ad dorsum et crura inferiora et die decimo quinto vespere ad crura superiora et brachia, applicanda est. Si pauciores, quam duodecim applicantur inunctiones, quaeque tamen pars ter inungatur, necesse est. Die decimo tertio, et ptyalismo nondum exorto, unguenti dosis ad ℥ß usque augenda. Ob crisin ante diem undecimum aut duodecimum nunquam apparentem, inunctiones vespertinae ante diem decimum tertium applicari non possunt. Crisi peracta et aegroto valde debilitato, tres tamen fiant inunctiones, necesse est. Maxima autem cautela, laxantia, remediis levissimis consistentia, adhibenda

sunt; nam unumquodque laxans aegrotum, quanquam die sequente mox recreatur, debilitat. Infirmitas autem, si remanet, neque appetitus revertitur, si pulsus parvus est, exspectandum, dum vires redeant, nec prius inunctio applicanda est; viribus autem reversis, inunctionibus pergendum est; cura autem statim, aegroto ad diem vigesimum primum usque in infirmitate perseverante, aeque ac laxantibus adhibitis, nausea et convulsionibus apparentibus, finienda est.

Ptyalismo post frictiones vespertinas nimio apparente, duo quotidie laxantia adhibenda, inunctiones autem, quae fieri deberent, intermittendae sunt. Cura, laxantibus metastasin ad pancreas efficientibus, statim quoque finienda et frictiones spirituosae et aromaticae ad abdomen et interne opium, Aether, Moschus, Camphora etc., et clysmata irritantia applicanda sunt. Salivae deglutitione nausea et vomendi conatus oriuntur, quae autem mox granis x — xjj rad. Ipecacuanhae tolluntur.

Refrigeratio, praecipue inter salivationem, obnoxia est; ptyalismus tum statim cedit, et os aridum, gingiva et lingua pallida, pulsus parvus, frequens, contractus animadvertitur; aegrotus, quanquam laetus, mox apoplexia corripitur; nisi balneis calidis, frictionibus cum panno laneo et multis potulentis calidis succedat, ut exhalatio instauretur. Ad minuendos oris dolores, gargarismata calida ex infusione Salviae vel Boracis aut ex aqua, lacte mixta, applicari possunt; ad ulcera exorta, unguentum applicandum est, constans ex camphora et oleo

amygdalarum dulcium. Inter dentes molares posteriores, lingua tumescente, suberis frustum immittatur, necesse est; linguam, ne coalescat, aegrotus saepius commovere osque aperire debet. Lingua autem nimis intumescens, scarificanda, eique hirudines et cataplasmata applicanda sunt. Loca, dentibus carentia, linteo explentur, ne lingua incarceretur. Gingivae haemorrhagiae, ardorem doloresque oris diminuunt, nimiae autem, si fiunt, solutio Boracis adhibeatur, lethales autem si fieri videntur, cura finienda est. Contra ulcera syphilitica nil adhibendum est.

Methodi hujus ratio diversa est, cura per suffitus, quae jam vetustioribus temporibus adhibita, sed ob incommoda, illam subsequentia, plane omissa erat; donec *l'Alouette* [1]) in priore superioris saeculi parte ea denuo usus est; nunquam tamen multum floruit. Ejus methodus haec fuit: Aegrotus in arca esse debuit, ita circum collum firmata, ne pulmones vaporibus afficerentur. Priusquam autem suffitus, ex Cinnabare aut calomelane constantes, applicat, cutis balneo calido praeparatur, ut ad recipiendum hydrargyrum sit aptior. Fumigatione, die semper interposito, factae, aegrotus in lectum se conferre, potulentisque calidis, ad cutis exhalationem augendam, frui debuit.

II. METHODUS EXTINCTORIA.

Vario modo hydrargyrum aut interne aut ex-

[1]) *l'Alouette*. Nouvelle methode de traiter la maladie venerienne par la fumigation. Paris, 1776.

terne ita adhibetur, ut salivationis tantum prodromi appareant:

a) Cura extinctoria per inunctionem, a *Chicoyneo* primum commendata et postea ab *Haguenotio* emendata est. Postquam aegrotus nempe, curam praeparatoriam, de qua supra jam dixi, perfecit, inunctio unguenti cinerei ʒj — jj quotidie ad extremitates superiores et inferiores fit, quo tempore aegroto conclave relinquere non licet, eumque decocto Graminis, Caricis arenar. aut Sarsaparillae frui oportet. Prodromis salivationis apparentibus, intermittuntur frictiones; ptyalismus autem exortus, diaphoreticis, praesertim autem purgantibus supprimitur; tum autem frictiones iterantur, donec salivationes prodromi denuo se ostendunt; qui denuo diaphoreticis et purgantibus tolluntur. Cura menses aliquos occupat, et quanquam multis molestiis conjuncta, minime tamen vituperanda est.

b) Cura extinctoria per usum hydrargyri internum. Varia hydrargyri praeparata nostris temporibus, vario modo adhibentnr. Methodi autem praecipuae sunt:

1) Methodus Dr. *Schönemanni*, qui hydrargyrum oxydulatum nigrum, magno contra luem successu se adhibuisse dicit; hoc modo illud applicavit:

Rec. Hydrargyri oxydulati nigri gr. jjj,
Sacchar. albi ʒjj.
M. exact. divide in XII part. aequal.

Die primo, secundo, et tertio mane et vespere, aegrotum pulverem unum sumere jubet; quarto tamen die praetermisso. Die quinto, sexto, et septimo

mane et vespere duo adhibentur pulveres, tum per dies duos cura intermittitur. Signis recreationis exortis, diebus subsequentibus unus tantum adhibetur pulvis, e contra vero duo. Quibuscum dosibus et intervallis pergitur, donec recreatio se manifestat, tumque ad unum pulverem descenditur. Externe hoc unguento utendum est:

Rec. Hydrargyr. oxyd. rubr. ℈jj.
Butyr. recent. non salit. ℥jj.
M. exact. f. unguentum,

cujus ter quotidie massa, lentis magnitudinem habens, ad ulcera applicatur. Ultimis autem curae diebus unguentum tantum saturninum usurpandum.

2) Methodus *J. F. Bergii*, qui hydrargyrum oxydatum rubrum, conjunctum stibio sulphurato nigro, praecipue contra luem, morbo scrophuloso complicatum, hac compositione laudavit:

Rec. Stibii sulphurat. nigri ℈vjjj.
Hydrargyr. oxydat. rubr. gr. jj
Sacchar. alb. ℈jj.
M f. pulv. divide in XVI part. aequal. D.S.

Mane et vespere aegrotum pulverem unum sumere jubet. Ptyalismum remedium hoc non provocat. Diebus octo praeteritis pulvis repetendus et hydrargyri dosis ad grana quatuor augenda, quo pergendum est, donec hydrargyri dosis ex granis decem constet; Stibii vero dosis non mutanda est. Postquam aegrotus hydrargyri grana decem sumsit, eadem progressione descendendum est. Diarrhoea apparente, opium addendum est.

3) *Weinholdius* praecipue hydrargyri muriatici

mitis efficacitatem laudavit, eoque hoc modo utitur: Aegrotus vespere, antequam cubitum eat, ventriculo non impleto calomel. gr. X — XV sumit; hora dimidia praeterlapsa, dosis eadem repetitur, individuum autem robustum denuo, hora dimidia praeterita grana V — VII ß adhibere potest. Post unamquamque dosin aegrotus duabus scutellis juris carnium frui debet. Mane adhucdum in lecto, scutellis duabus Coffeei nigri frui; tum hora praeterlapsa et tribus vel quatuor alvis fluidis nondum exortis, tartari tartarisati et pulveris radicis Jalappae ad gr. XV — XX sumere debet; die quarto, septimo decimo usque ad undevigesimum vel vigesimum secundum usque diem calomelanos dosis repetenda, et dosi octava facta, cura plerumque finienda est. Unicuique calomelanos dosi, ne nimium corpore assuefiat, rad. Jalapp. gr. V — VI adjicienda est, nam ad ptyalismum impediendum, alvi excretiones maxime necessarias esse, diaetae vero praecipue opus non esse, dicit.

4) Cura per hydrargyrum muriaticum corrosivum, quod *Dzondi* [1]) recentioribus temporibus hoc modo adhibuit, et ejus effectus quam maxime laudavit, dicens: illud quovis anni tempore, quavis constitutione, et quovis momento adhiberi, eoque luem plane amoveri posse; sed dosin semper augendam magnisque intervallis adhibendam esse, ut contagio syphilitico se admisceat; quo celerius autem contagium e corpore propellatur, quotidie ae-

[1]) Dzondi zuverlässige Heilart der Lustseuche. Halle 1826.

grotum decocti Sarsaparillae ℔ j frui, pilulas vero statim prandio peracto, sumere jubet, ne citius solvantur, nec ventriculus nimis incitetur; sed melius resorbeantur et assimilentur. Pilulae, quibus utitur, constat ex:

Rec. Hydrargyr. muriat. corros. gr. xjj
solve in
Aquae destillat. commun. q. s.
adde
Micae panis alb.
Sacchar. alb. q. s. ut f. pil. pond. gr. j Nr. 240
consperg. pulvis Cinnamom.

Quae pilulae die primo nempe quatuor, die tertio sex, et die quinto ita adhibendae sunt, ut ad vigesimum septimum usque diem, die semper interposito, dosi quotidie pilulae duae adjiciantur. Doses pilularum majores in minores dividi possunt, tum autem doses altera alteram mox subsequi debet. Pilulae, si ejiciuntur, alia dosis, conjuncta tincturae opii guttis quatuor sumenda; quae, colica tribus vel quinque horis post exoriente, addenda quoque est; quo pergendum, donec evanuerint symptomata. Diarrhoea, salivatione, aut aliis molestiis apparentibus, cura intermittenda, quibus autem amotis, cura dosi postremo adhibita, denuo incipienda est; quae tum autem diutius perdurat, quia ad luem omnino tollendam, opus est, ut dosis gr. I ß sumatur; qua et tum pergendum est, si, quibusdam dosibus adhibitis, omnia syphilitidis symptomata evanuerint. Casibus rarioribus obstinatis dosis adhuc augenda, quod *Dzondi* ad grana tria pro dosi

fecit; posterior interdum curae pars repetenda est. Dum curatur, aegrotus nutrimenti dimidium sive quadrans, mane fluidum tantum sumere carne, praesertim porcina, infumata et salsamentis, lacte et lacticiniis omnino abstinere debet. Conclave non nisi diebus flagrantibus nec mane et vespere relinquere potest, vestimenta quavis hebdomade et lectum mutare, maximam praecipue munditiem observare, et quidquid cutis exhalationem supprimere posset, evitare debet; conclavis aër quotidie renovandus; et lectum per diem pateat, ut vapores exhalentur; contra ulcera nil adhibetur. Nisi refrigeratione exorta nihil unquam molesti accidere solet, hac autem admissa, mercurii contagium in corpore remanens, et cum miasmate syphilitico se conjungens malum perniciosius et obstinatius reddit; mercurialismum ipsum procreare potest; cujus prodromi pilularum intermissionem requirunt; prodromis autem, maxima pilularum dosi, apparentibus, tincturae opii guttae quaedam addendae sunt. Contra mercurialismum autem ipsum exortum, sulphur interne et externe adhibendum est.

Nobilis *a Wedekind* [1]), qui, se jam ante quadraginta annos sublimatum aucta dosi adhibuisse, dicit; aegrotum, ad resorptionis efficacitatem, quam maxime excitandam, et quo magis contagium se cum mercurio conjungat, a vasibus lymphaticis recipiatur, et exhalatione amoveatur, non solum magnam potulentorum copiam, sed et cibos, more consolito

---

[1]) Hufeland's Journal. 64. Bd. 1. Stück. S. 46.

sumere; cibis tantum digestionem pervertentibus et exhalationem supprimentibus, abstinere jubet. Contra ulcus quoque syphiliticum, ceu morbi originem, solutionem sublimati applicat.

Dr. *G. A. Grahl* [1]) usum sublimati aucta dosi adhibitum laudat, ejusque commodum multis probat exemplis.

Notatu adhucdum digna est, cura per hydrargyrum nitricum, quod ceu liquor hydrargyri nitrosus adhibetur. Grana quinque liquoris unum granum hydrargyri continent; hoc modo adhibetur: hora quadrante post coenam et gentaculum aegrotus die primo usque ad sextum, vespere nempe, diei primi, secundi, et tertii et mane diei quarti, quinti et sexti guttam unam, sumere debet; tum autem usque ad diem trigesimum dosi quotidie gutta additur, ita ut, quas mane sumit, guttas faciant septuaginta quinque, quas vespere, guttas faciant nonaginta. Diaeta observanda est; caeterum remedium non nisi digestione bona adhiberi potest.

c) Cura extinctoria per resorptionem, quam adhibuerunt *Pet. Clare* et *Cruikshank*, calomelanos aut hydrargyri nigri grana tria ad internum oris latus applicantes, donec glandulae salivales correptae videbantur. Hoc modo hydrargyrum citius humoribus assimilari, majoremque eo effectum procreari, quin intestina et cutis afficiantur, judicarunt; sed ob inefficacitatem ejus mox omissa est.

Praecipuas nunc commemoravi, luem mercurio

---

[1]) Hufeland's Journal. 64. Bd. 2. Stück. S. 77.

tollendi, methodos; sed variae adhucdum exstant methodi, minus vero notabiles, uti illa *Scattingae* [1]), constans in imponendo unguento cinereo ad loca, multis vasis lymphaticis, obtecta; illaque, quo universum corpus, exceptis pectore, abdomine et capite, emplastro hydrargyri, obtegitur; cura porro per balnea sublimatum continentia, quam *Baume*, *Cullerier* et *Kopp* commendarunt; et nobilis *a Wedekind* [2]) illa quoque magni esse emolumenti, dicit; si sublimatum ob vehementes ejus effectus interne magna dosi adhiberi non possit.

Caeterorum metallorum contra luem effectus nondum satis cogniti sunt; quanquam *Köchlin* et *Göhlis* cuprum muriatico-ammoniatum contra luem inveteratam maxime laudarunt; sulphuris autem auctoritatem eo exortam credo, aegrotos quosdam, hydrargyro venenatos, quo ulcera, ulceribus syphiliticis simillima, exoriuntur, sulphure sanatos esse.

---

[1]) Salzburger med.=chirurg. Zeitung. Dezember 1823.
[2]) Hufeland's Journal. 1824. 1. Stück. S. 38.

CURRICULUM VITAE.

Ego *Franciscus Jacobus Hubertus de Weise*, confessioni addictus catholicae, Unkelii ad Rhenum natus sum die XV. m. Aprilis a. MDCCCIII patre *Ludovico de Weise* qui autem jam anno MDCCCXIII e vita exivit, et matre *Barbara* e gente *de Greff.* Literarum principia, instructione privata edidici, tum autem anno MDCCCXVIII Gymnasium coloniense adii, ubi usque ad annum MDCCCXXII commoratus sum; tum patriae satisfeci. Anno MDCCCXXIII ad Almam Rhenanam me contuli, ibique a Rectore Magnifico Augusti die XXIII m. Octob. in numerum civium academicorum receptus a Cl. *Nasse*, t. t. decano, ordini medicorum subditus sum. Ibi viri doctissimi praeceptores fuere: Cl. *a Münchau* Physicen et Cl. *Gust. Bischof* chemiam experimentalem, Cl. *Goldfues* Zoologiam et mineralogiam, Illustr. *C. G. Nees ab Esenbeck* Botanicen generalem, et *C. Fr. Nees ab Esenbeck* plantas officinales me docuerunt. Frequentavi porro apud Cl. *Elvenich* logicam et psychologiam, apud Cl. *Hüllmann* historiam veteris aevi, apud Cl. *Windischmann* encyclopaediam et methodologiam medicam, anthropologiam apud Cl. *Nasse*, apud Cl. *Mayer* anatomiam generalem et specialem, osteologiam et syndesmologiam hominis apud Cl. *Weber*, uterque me quoque artem cadavera secandi docuit. Physiologiam hominis

Cl. *Mayer* et Cl. *Nasse* pathologiam et therapiam generalem, nec non et pathologiam specialem morborum auctorum Illustr. *Harleſs*, idemque hygieinen et diaeteticen, sic et Cl. *Nasse* therapiam specialem, Illustr. *a Walther* chirurgiam generalem et specialem, et ophthalmologiam tradidit. Institutionibus clinicis medicis apud Cl. *Nasse* et chirurgicis apud Illustr. *a Walther* interfui.

Tum anno MDCCCXXVI Herbipolin adii, ubi a Cl. *Goldmayer*, t. t. rectore, civibus academicis adscriptus professores disserentes audivi: Cl. *Hergenröther* de materia medica et de arte formulas medicas concinnandi Illustr. *Textor* de akiurgia, Cl. *Schönlein* de nosologia ac therapia speciali, Cl. *Heusinger* de anatomia hominis speciali et comparata, Illustr. *d'Outrepont* de artis obstetriciae tum theoretica tum practica parte. Clinicum medicum et praelectiones clinicas de morbis syphiliticis apud Cl. *Schönlein*; clinicum chirurgicum apud Illustr. *Textor* frequentavi.

Berolinum tum petii, et die XVII. m. Octob. inter cives academicos receptus, scholas clinicas frequentavi.

Jam vero tentamine examineque rigoroso rite absolutis, spero, fore, ut summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES.

I.

Non datur morbus occultus.

II.

Aura seminali graviditatem procreari, nego.

III.

Nasus est organon gustatorium.

IV.

Infibulationem non esse applicandam, censeo.

V.

Amor morbus.

VI.

Imaginatio gravidae magni in conformationem foetus est momenti.

VII.

Haemorrhoïdes coecae oriuntur ex laxa tunica cellulosa.